

PARS PRIMA.

Scena prima.

ANGELUS.

- Salutem primùm dico spectatoribus,
 Quotcunque convenistis isthunc in locum.
 Fors mirabimini, quòd homines angelus
 Saluto et alloquor, quasi verò sit novum
 5 Aut insolens mortales ab immortalibus
 Salute donari: factum est hoc saepius
 Fietque saepius sêclis labentibus;
 Valdè etenim amamus nos caeli incolae
 Vos terrae indigenas atque vestra commoda
 10 Sedulo curamus. Hinc ab incunabulis
 Homini cuivis comes adhaeret angelus,
 Qui regat et dirigat pijs hortatibus
 Currentem hunc vitae cursum, qui lapsum erigat,
 Nutantem firmet et perîclis liberet
 15 Millenis, quibus haec obsidetur perpetim
 Via, qua tenditis ad caelestem patriam.
 Sed, ô Terrigenûm caeca ad lapsum pectora,
 Aligerûm spretis monitis turba pleraque
 In praeceps ruit et sponte sese Tartaro
 20 Immergit; nos ut asperi repellimur
 Monitores, Genius auditur malus
 Secundis auribus, dictaque eius illico
 Altissimè descendunt in praecordia.
 Non tamen idcirco deserimus custodiam
 25 Nobis commissam: sequimur prodigos
 Suae salutis, vellicamus iugiter,
 Ut se respiciant et rectum repetant iter

1 salutem ... spectatoribus] *cf.* Plaut., Men. 1-2; *cf.* UR 1 (salutem multam dico spectatoribus) 3 fors ... novum] *cf.* RH 1, 682-684 (forsitan / miramini me factum nuntium, quasi hoc / novum foret et nullis unquam contingeret)

7 saeclis *D* 10 abhinc *A a.c.* | incunabilis *D* 18 turba] turbat *D* 26 vellicanius *A*

Interdum frustrà interdum faelici exitu,
 Id quod mihi nunc divini nutu Numinis
 30 Evenit: Augustinus etenim ex Africa
 Oriundus ingenio et arte admirabilis,
 Cui ego sum custos attributus à DEO
 Ex ineunte aetate, vitia et haeresin
 Relinquet hodie, ex impuro purissimus,
 35 Ex haeretico Catholicus factus et hoc meo
 Impulsu instinctu oratu; nunquam desij,
 Donec tam nobilem indolem
 Haereseos Venerisque implicatam nexibus
 Exsolverem. Succedet ex sententia
 40 Conatus, quamvis non levi certamine
 Depugnaturus siet adversus haeresim
 Adversusque voluptatis blanda spicula;
 Sed vincet novus hic pugil adiutus me Duce:
 Semper enim luctanti astabo semper adero,
 45 Partim aspectabilis partim inaspectabilis
 Iuvabo, succumbenti porrigam manum
 Geniumque malum suadentem vitia et haeresim
 Fugabo. Vos adeste videte imitamini!
 Id ipse Augustinus avet, id optat unicum
 50 Aetatis flore deceptis et haeresi.

Scena secunda.

GENIUS MALUS. ANGELUS.

Itanè Augustinus exhibit laqueis meis,
 Quibus irretitum tenui à prima infantia?
 Habere praedam me rebar certissimam
 Ter denis annis possessam, nunc fluctuat
 55 Et mihi salutem multam dicere cogitat,
 Vulpinus Afer. Non placet amplius Manes,
 Vix audior, vix medias aures admovet
 Totas pronasque consuetus prius dare.
 Et quae haec mutatio? Quod si hamum hic deserat

30 Africa *D* 39 exsolverem] exducerem *A a.c.* 53 caertissimam *D*

- 60 Piscis, nullus ero! Verùm spem omnem ponere,
 Dum vivit Augustinus, nequaquam decet.
 Extricet sese, queis tenetur vinculis
 Astrictus, an non poterit denuò conijci
 In compedes easdem ijsdem machinis,
 65 Quibus subverto quamvis robustissimos?
 Deinde nutet et labascet, quid dein?
 An ideo penitus liber est meo à iugo?
 Firmabo labantem; quis confirmantem vetet?
ANGEL. Ego te vetabo et veto, perversa bellua,
 70 Mortalium hostis infestissime omnium,
 Dei est, non tuus Augustinus; is in posterum
 Non tibi, non haeresi aut libidini,
 Sed Patri aeterno serviet.
GEN. Mancupio et usu meus est longo tempore
 75 Augustinus, nil in alieno vendices
 Tibi tuovè DEO! Tuque sine haeresim
 Suis ministris! Antiquo iure haeresis
 Augustinum obtinet. *ANGEL.* Tunè tibi vendicas
 Imperium in homines conditos ad imaginem
 80 Supremi Patris? Apage ad Tartara illicò
 Alastor impurissime!
 Tota equidem domini terra est et quicquid ubique
 Vel parca celat vel benigna sufficit,
 Quique colunt montesque feros camposque feraces
 85 Urbesque sanctis temperatas legibus.
 Quin ocyus abis, bestia,
 Et Augustino turbas cière desinis!
GEN. An me deijcies partis? *ANGEL.* Etiam verbulum,
 Seductor, addis? Satis erratum est: in viam
 90 Recipiet sese Augustinus, ringaris licet
 Lucifugis cum sodalibus.
 Abi, inquam, sic vult, sic mandat Deus! – Abijt.

74 mancupio et usu] *cf.* NU 2585 (mancupio et usu) 79 conditos ... Patris]
cf. Gen. 1, 27 89 satis erratum est] *cf.* NU 2034 (sat est erratum)

65 robustimos *A* 75 vendicas *A a.c., D* 81 allastor *D* 82 domini] est
add. D a.c. 85 sanctas *D a.c.* 86 / 87 als ein Vers geschrieben *D* | otius *D*
 89 seductor] impostor *add. s.l. D*

Ego Augustinum hic praestolabor, cui gravis
Maeror languorque iugis pectus exedit.

Scena tertia.

AUGUSTINUS. ANGELUS.

- 95 Quo magis expendo, quonam verser in statu,
Hoc magis excrucior atque in partes distrahor
Varias, quietis expers; haud Manichaei placent
Amplius haud animo arrident nullo dogmata
Firmata fundamento, dogmata absurdissima
100 et plena repugnantiae. *ANGEL.* Rectam insistis viam,
O Augustine! Iam tibi salus panditur,
Iam lux exoritur. *AUG.* Ambrosium quando audio
Disertè disserentem de caelestibus,
Nugarum Manichaei me ex animo piget.
105 *ANGEL.* Et meritò. Quid enim ineptius et anilius
Manichaeorum placitis? *AUG.* Eloquentia
Ambrosius Fausto cedit, sed scientia
Ambrosius Faustum tanto intervallo anteit,
Infantem quanto vir maturus anteit.
110 *ANGEL.* Haereticis id solenne est: verba concrepant
Inanes rerum. *AUG.* Nec tamen, ut assensum commodem
Ambrosij dictis, à me possum extundere:
Placent, quae dicit, sed non cogunt credere.
ANGEL. Credes, ô Augustine. *AUG.* Forsan veritas
115 Nil praeter nomen est vel semper fluctuans
Dubitatio. *ANGEL.* Erras, erras, errorem ipsemet
Agnosces evidenter! Certa est veritas
Et una, non instabilis velut opinio.
AUGUST. Certum est Manichaeismum deserere, sed cui
120 Adiungam me disciplinae? Cum Academicis
Me conformabo: suspendam assensum in omnibus,

100 rectam insistis viam] cf. Plaut., Asin. 54

94 excédit *A* 101 panditur] iam lux exor *add. D a.c.*
cent ... credere *om. D* | cogunt] cognat *A a.c.*

113 pla-

Quoad reperero, ubinam veritas siet.

ANGEL. Reperies, Augustine, veritatem et suaviter
In illa conquiesces.

125 *AUGUST.* Ambrosium sedulus audiam, illius avidè
Excipiam dicta privatim atque publicè;
Fors ductu tanti Antistitis ad cubilia
Retrusa veritatis ducar: id unicum
Curae cordique mihi erit, donec vixero.

130 *ANGEL.* Operam da Ambrosio, cuius in ore veritas
Cum suada sessitat.

AUGUST. Sed ut ab hoc hoste me expediam faeliciter,
Alius sternendus superest, cuius nexibus
Exolvere me decretum est. Tanto – heu dispudet! –

135 Tempore volutor in carne atque sanguine
Libidinis mancipium! Quid agam? An belluam
Semper agam, nunquamne reflectam oculos ad decus
Virtutis? At difficile est sueta relinquere.

ANGEL. Nil arduum accidet, quem iuverit Deus.

140 *AUGUST.* Nolo mihi frons et pudor in postremis siet.

Vere Poëta antiquus:

Ego illum perijisse duco, cui quidem perijt pudor.

ANGEL. cantus Res pulchra castimonia est,

Res pulchra virtus est;

145 Virtus profectò rebus anteit omnibus,
Praesertim mentis puritas et castitas,
Quae nos delectat Angelos prae caeteris.

AUGUST. Ambrosium sed enim conveniam, qui duplici
Morbo aegrotantem pharmacis idoneis

150 Forsan levabit aut saltem aegritudinem
Imminuet! Verè etenim malè est animo meo.

ANGEL. Benè erit. Hic morbus index sanitatis est.

Abit aeger ad praestantem medicum, euntem subsequar.

142 ego ... pudor Plaut., Bacch. 485 145 virtus ... omnibus] Plaut., Amph.
649

131 sessitat] grates (*ras.*) animaru *add. D* 137 numquam ne *A, D* 138
virtutis] veritatis *A* 148 conveniamus *A*